

(111) Equiti Illustrissimo C. a Linné,
 Patrono ac Praeceptorī suo ad cineres colendo,
 S. pl. d.
 J. Zoëga.

Mitto demum semina desiderata, Koenigianaque omnia quae possideo, toto pectore optans, vt TIBI grata voluptatique sint, et bene germinent. Quod ad hortum nostrum, hic iam in lethargo jacet, et mox destructum eum visuros nos metuimus. Locus, quem occupat, aptior videtur mercatorio vsui, hinc primum de translocatione horti in alium locum agitabatur. At quum haec nimis comitata erat impensis, nunc fere conclusum est, vt hortus plane destruat, nobisque prohibitum vterius in operationibus nostris progredi. Sic quotidie fatum rei botanicae nostrae exspectamus. Interim Floram Danicam colligere et publici iuris facere continuabit Oederus; quid vero de me fiet, nescio. Vereor autem, ne Florae Faunaeque valedicere cogar.

Florae fasciculum nonum cum tractatu politico, quem praeterito anno conscripsit, mox mittet Oederus, hisque additurus est delineationem Bulbosae, quam Aletris speciem esse putas...¹⁾). Muscos certe adhuc amo, et vbicumque possum colligo; sed cui iam vsui? Fabricius missurus est collectionem paruum insectorum, quae noua putat, quam primum nempe poterit. Relatio de Gallorum peregrinatione in Noruegia falsissima est, et auctorem habet Dnum Bomare, qui se unicū historicum naturalem putare videtur. Vale et fauere perge.

Hafn. d. 12. Maij 1770.

(112) Equiti Illustrissimo a Linné
 S. pl. d.

J. Zoëga.

Tandem ad humanissimas Tuas respondere tempus videtur, quum horti fatum meumque simul decisum sit. Factum

¹⁾ Om Sendering af Planter.